

M 41.  
(2)



13,

NICOLAI  
CLENARDI  
CIRCA  
MUHAMMEDANORUM  
AD  
CHRISTUM  
CONVERSIONEM  
CONATUS.

---

DESCRIPTI

A

D. JO. HENR. CALLENBERGIO  
Th. & Ph. Prof. publ. ord.

---

HALAE

In Typographia Instituti Judaici  
MDCCXLII.

NICOLAUS  
CLEMENS  
MUSAMMANN  
CHRISTUM  
CONVERSIONEM



P. JOHANN CALLEBERG  
Halle/S.

In Typographia Joh. J. J. J.  
M. J. J.





## CAP. I.

## Periodus Brabantina.

## I.

**N**atus est Nicolaus Clenardus anno circiter c10 cccc xcv1. Diestæ, Brabantia oppido. Qua occasione ipsum incesseit cupido discendæ linguæ arabicæ, quam Muhammedicorum errorum oppugnatori necessariam esse arbitrabatur, & circa quam conatus ejus maxime versatus est, primum audiamus. Anno circiter c10 10 xxxii. Lovanii, cum theologiæ suum daret studium, simul græcas hebræasque litteras profitebatur. Tum Judæorum lectitans commentaria, subinde cruciatur, istis hujus illiusve voculæ arabicum adferentibus significatum. Præcipue vero ipsum stimulat Abenefra, quoties frequens illud in lingua Ismaelitica phe rapha memorat. Quid, secum cogitat, nunquamne sciam, quidnam sit phe rapha?

A 2

Inter-

---

#### 4 CLENARDI CIRCA MUHAM. AD

---

Interrogatus ab ipso Joannes Campensis, hebraicæ linguæ professor: idem, inquit, est phe rapha, quod adverbium, tunc. Hoc autem ei minime satisfecit. Unde manifestum est, quod ipse etiam claris verbis fatetur, eum arabicæ linguæ amore captum, quod animadverterit, ipsam esse hebraicæ adfinem, & alteram alterius juvari præsidio. Illo autem tempore de superstitione muhammedica ne somniavit quidem.

II. Studio ardebat aliquid consequendi scriptum litteris arabicis, quas nondum viderat. Ea tempestate Venetias profecturus erat Daniel Bombergius, venitque salutatum Clenardum. Hic interrogat, num quis esset Venetiis arabicæ linguæ peritus. Respondet ille: medicos quosdam reperiri inter Judæos, qui Avicennæ scripta arabica legant. Protinus ita exultat gaudio Clenardus, quasi jam linguæ partem teneat, quod in orbe nostro non desint illius gnari. Promisit Bombergus, se paginas aliquot e Venetiis missurum arabicas.

III.

---

*Somniavit quidem.* Clenardi Epistolarum libri duo. Antverp. 1566. p. 28. n. 1. p. 35. lin. 10. p. 101. lin. 22. p. 201. lin. 33. p. 212. n. 35. p. 219. 25.  
*Missurum arabicas.* p. 220. n. 5.

III. Interea adolescens ex numero quatuor collegii scholaſtici victorum, quos præter illos, qui annuis alebantur proventibus, admitti licebat, linguarum itidem amore captus, pſalterium nanciſcitur Nebienſe, latine, græce, hebraice, chaldaice & arabice ſcriptum. Lætus advolat ad Clenardum, non ignorans, litterarum illarum notiã pluris ab ipſo putari, quam optimum ſacerdotium. Jam ſibi beatus videtur Clenardus, jam præter arabicum ſermonem ei frigent omnia. At nemo eum Lovanii poterat elementa illius docere, nec ullus ibi extabat libellus, arabica enarrans rudimenta.

IV. Noſerat propria hominum, regionum, montium, fluviorum, urbium nomina iisdem apud Hebræos chaldæosque ſcribi litteris, & totidem utroſque conſentire ſyllabis. Suſpicabatur, Arabum quoque ſcripturam non admodum ab hebraica abhorrere.

V. Pſalterium evolvens, in pſalmum incidit, cujus hoc eſt initium : *Deus, quis ſimilis tibi ? ne taceas.* In illo multa ſunt nomina propria, Iſrael, Idumæi, Iſmaelitæ, Moab, Agareni. Primum noſcere cæpit litteras

A 3

quas-

---

*Libellus, arabica enarrans rudimenta.* p.

213. lin. 1. p. 220. lin. 15.

*Ab hebraica abhorrere.* p. 213. lin. 10. p.

221. lin. 20.

quasdam, quæ in Ismaelitarum nomine reperiuntur, latino vocabulo cum arabico collato. Idem cum reliquis dicti psalmi nominibus propriis egit. Tum arabica ista nomina inter se commisit. Sub hoc labore, hacque rimandi diligentia omnes linguæ hujus litteras notitia comprehendit.

VI. Mox altero subsidio adjutus est, quod ad concipiendas animo, vel potius concipiendas grammaticæ regulas aditum patefecit. Siquidem aliquot litteras certo cognoscanti frequenter vocabula occurrunt, idem hebraice significantia, iisdemque ac apud Hebræos constantia litteris; exempli gratia, manus, pes, caput, lingua, venter, anima, servus. Est igitur, ratiocinatur, arabicum idioma tam affine hebraico, quam chaldaicum. Hoc nosse multum ipsi profuit, & ipsam litterarum notitiam ei reddidit expeditiorem.

VII. In mentem ei venit: quandoquidem ita vocibus inter se conspirant hæ linguæ, fortassis illæ etiam non dissident grammaticæ præceptis. Pronomina, meus, tuus, suus, noster, vester, certis literis & syllabis exprimuntur. Quare, ubi his utitur latinus, aut hebræus, sedulus literarum investigator,

*Linguæ hujus litteras, p. 213. lin. 15. p. 223. lin. 1.*

*Litterarum notitiam. p. 215. lin. 14.*



gator, eadem in sermone Arabico offendit, priusquam quaerit. Contemplatur porro, quid faciant arabes in variandis verborum personis, quid in commutandis conjugationibus. Nihil aliud jam censet esse arabismum, quam alterum quendam hebraismum, hasque linguas non solum innumeris vocabulis, sed arte etiam grammatica consentire.

**IIIX.** Legit a capite ad calcem usque Psalterium, ac sibi inde rudem aliquem vocabulorum thesaurum parare coepit. Consultum videtur, ab illo incipere psalmo, cujus initium est: beati, qui non sunt maculati in via; quoniam in eo complures sunt voces, crebro repetitae disparibus casibus, & numero utroque. Quod ipsum ei partim usui fuit, cum iterata subinde vocabula indies magis redderentur familiaria, partim eundem vehementer turbavit. Etenim in formando nominum plurali numero longe aliam flexionem conspicit, quam quae Hebraeis usitata est. Tamen quia, effraetis foribus, in aedes irruperat, minus credit esse laboris, arculas referare, licet maxime clausas, quam domum ipsam intrare. Itaque pergit in congerendo vocabularum thesauro, psalmos lectitans, ratus, aliquando fore opportunitatem, quae scrupulos eximat.

CAP.

*Grammatica consentire.* p. 226. lin. 9.

*Scrupulos eximat.* p. 213. lin. 27. p. 227.

lin. 27.

## CAP. II.

## Periodus Hispanica prima.

## I.

**N**on ita multo post Rochus Almeida, Lusitanus, Franciscani ordinis, narrat ei, esse in Salmanticensi academia linguæ arabicæ professorem. Hoc verbum alte in animo ejus defigitur, nec aliud deinceps cogitat, quam professionem Hispaniensem. Eadem tempestate versatur in Brabantia Fernandus Colon, cujus patri, Christophoro, repertas Indias debemus. Hic Europam universam eo fine peragrabat, ut, quas habebat, opes coëmendis libris impenderet, illisque Hispalim translatis, memorabilem pararet bibliothecam. Lovanium veniens, communicato cum Resendio, poeta, consilio, quærit, quem secum in Baticam abducat, condendæ bibliothecæ adjutorem, & in studiis consortem.

II. Resendus hominem secum ducit in auditorium, ubi Clenardus explicabat Chrysofomi de sacerdotio scriptum; peractaque lectione, Colon ipsi conditionem pro-

---

*Professionem Hispaniensem.* p. 229. lin. 7.  
*In studiis consortem.* p. 213. lin. 37. p. 232.  
 lin. 16.

proposuit. Minime tergiversatur Clenardus, existimans, inter Hispanos se posse feliciter arabicas literas addiscere; paucisque diebus interjectis, cum Colone professionem ingreditur. Accidit hoc circiter sub anno 10 xxxii. finem.

III. Salamanticam cum pervenissent, professorem arabicum frustra quæsit Clenardus. Deinceps Fernandum Nunium invisit, græcæ linguæ professorem, qui arabicas quoque literas coluisse dicebatur. Sciscitanti respondet Nunius: *ego eadem junior laborabam insania, nec contentus hebraeis literis, adjeci illis arabicas; verum nunc, omisis omnibus, tantum in græcis versor.* Et simul ipsum a proposito dehortatur: sed frustra; quin, cum intellexisset Clenardus, eum habere codices aliquot arabicos, vocalibus instructos, vehementer ipsum rogavit, ut istos sibi ostenderet. Nunius, perspecta propositi firmitate, *cras, inquit, redi, & tum ex acervo meorum codicum eruemus arabicos; siquidem in præsentia, ubi lateant, ignoro;*

B

adeo

*Professionem ingreditur.* p. 214. lin. 2. p. 232. lin. 31.

*Anni clo lo xxxii.* p. 14. lin. 16. p. 36. lin. 31. p. 42. lin. 21. p. 53. lin. 25. p. 61. lin. 16.

*adeo me chartarum muhammedicarum cepit oblivio.*

IV. Reverso postridie dixit: *en tibi quatuor Evangelia, pulcherrimis literis scripta; non alia potui reperire.* Literis vocalium notæ minio adscriptæ erant. Postremo Nunius singulas litterarum arabicarum formas depinxit; ubi Clenardus noscere didicit literam Lam, quæ ipsum Lovanii cruciaverat. Item nonnullarum literarum, quas Clenardus confuderat, docuit discrimen.

V. Legens Evangelia, collatione græci codicis, ipsi optime cogniti, sic adjutus est, ut facile, quæ vocum arabicarum mens esset, coniceret. Operam dedit noscendis vocalibus, augendisque observationibus grammaticilibus. Amplus nominum priorum index, quem Matthæi habet exordium, comonstrat Clenardo vocalium indolem. Verum perplexus angitur, dum tres solum vocalium figuras reperit, cum quinque latinis comparandas. De notis *diacriticis* aliquid conjectura adsequitur. Audiverat, proficere grammaticam; hanc emit. Excusa erat Granatæ, atque

---

*Chartarum muhammedicarum.* p. 7. lin. 5.  
p. 72. lin. 6. p. 109. lin. 11. p. 111.  
lin. 27. p. 234. lin. 35.  
*Docuit discrimen.* p. 214. lin. 14. p. 236.  
lin. 18. p. 237. lin. 20.

atque in ea literarum nomina & figuræ declarabantur. Unde illud haurit, quod ipsum hucusque in vocalibus remoratum erat; nihil præterea. Eodem tempore Jacobus quidam Halensis schedulam profert, repertam in angulo, quæ depictas representabat literas; hæc etiam conceptas quodammodo confirmavit opiniones.

VI. Paucis post diebus adit Nunium, qui ei dixit: se reperisse libellum rudimentorum, gurremiam appellatum, sine quo nihil queat efficere; simulque illum lectitare cœpit, Clenardo mirante, tanto temporis intervallo non penitus omnia in hoc viro delivisse oblivionem. Clenardus sermonem inclinavit ad suos scrupulos, & evangeliorum volumine aperto: *nonne, inquit, sic id legis?* Nunius: *maxime.* Clenardus: *Et illud quoque nonne hoc pacto?* Nunius: *admodum.* Et ita porro provecti sunt colloquio; Nunio alia insuper in medium adferente, quæ suggerebat memoria. Ostendit præterea codicem grandiolem, ab Abolcasimo compositum, quo dicebat contineri, quicquid esset grammaticæ; monens tamen, exiguum illum libellum inprimis legendum esse.

B 2

esse.

*Vocalibus, Vocem hanc substitui voci, vocalibus.*

*Confirmavit opiniones. p. 214. lin. 15. p. 237. lin. 13. p. 247. lin. 27.*

esse. Jussit ipsum quotidie statis horis ad se commeare; pollicitus, se ejus causa revocaturum priora studia in memoriam, & Gurremiam interpretaturum.

VII. Prima statim lectio Clenardo displicuit, putanti, inde non esse auspicandum. Ne tamen præceptoris judicio refragaretur, obsequentem se præbuit quatuor aut quinque diebus, sperans, se hac via alterum codicem nacturum. Domi tractandis evangeliiis vere discendi rationem meditabatur. Nunc illud observat, hoc Arabes adjecisse Hebræorum & Chaldæorum legibus, ut etiam nomina certis variarent casibus, commutando postremæ literæ vocales. Nec dubitabat, quin, si alterum illum evolveret grammaticum, omnes suo Marte posset superare difficultates. Si quidem viderat, passim adjecta interpretamenta latina, aliasque observationes. Vicit pudorem cupiditas; oravit, ut se fineret diebus aliquot sua frui sententia; addens, se sperare, si codicem illum legeret, non perditum iri operam. Gratificatur ei Nunius.

III. Adgreditur rimari grammaticæ arabicæ regulas; verum animadvertit, Abolcasimum neque nominum declinationes, neque verborum tradere conjugationes, sed omnem

---

*Gurremiam interpretaturum.* p. 238. lin. 19;  
*Gratificatur ei Nunius,* p. 239. lin. 3.

omnem ejus scriptionem circa syntaxin ver-  
fari. Primæ pagellæ, haud sane multæ, in-  
terpretamentum latinum habebant; reliquæ  
hispanicum, quod æque ignorabat Clenardus.  
Erat unus & alter e popularibus ejus Salman-  
ticæ, quos consuluit de vocibus hispanicis, at-  
que hac interpretatione ad quandam arabica-  
rum notitiam pervenit. Tandem post illud  
*lexicon*, quod Lovanii composuerat, aliud ex  
evangeliiis concinnavit. In quo opere tam fuit  
diligens, ut nullum esset in quatuor Evangeliiis  
vocabulum, quod non suo loco compareret, id-  
que suis adfectum numeris, ut quis, consul-  
to lexico, conspiceret illico, quota Evange-  
liorum pagina, ac quoto versu contineretur.  
Id quod eam ob causam fecit, ut, collatis in  
unum multis locis, expiscaretur formandi nu-  
meri pluralis rationem. Eundem laborem  
suscepit in conjugationibus investigandis.

IX. Hæc cum narrasset Clenardus, ad-  
dit: fieri non potuisse, ut evasisset ex his  
angustiis sine incredibili Dei beneficio; tan-  
tam extitisse congeriem rerum, quæ suis  
quæque locis fuerint disponendæ. Verum  
adfiduitate laboris, & sæpe recogitantem  
hæc psalmi verba: *Deus, quis similis ti-  
bi? ne taceas: se intra novem menses*

B 3 in

*Conjugationibus investigandis. p. 214. lin.*

15. p. 239. lin. 35.

in pistrino arabico eo pervenisse, ut publice linguam hanc docere non reformidasset; parumque abfuisse, quin cathedram ambivisset arabicam, quæ per tot annos desideraverat professorem. Jamque rem ferme transegerat cum bibliopola, Junta, ut excuderet exiguum de linguæ rudimentis libellum; quod nactus esset eximium sculptorem, qui e buxo typos formaturus erat arabicos. At mutavit Junta sententiam, veritus, ne sumtum sine lucro faceret; cum literas istas paucis cordi fore suspicaretur.

X. Interea, liberatus a pactis Coloniciis, die xxix, aprilis anni cio io xxxiii, græcam linguam docere cœpit, tanta auditorum confluyente multitudine, quantam hucusque nullus in Hispania viderat doctor. Consilium quidem illius eo spectabat, ut hic arabicas propagaret literas: sed, cum prævideret, fore, ut pauculos earum acciperet auditores, si laborem academicum ab ipsis inchoaret; tutius ei visum est, græca docendo ante emereri frequentiam. Die III. novembris in professorum cooptatus est numerum, honesto constituto salario, ut in latino, ac græco sermone institueret juventutem. Tum con-

---

*Suspicaretur.* p. 91. lin. 8. p. 129. lin. 25.  
p. 204. lin. 36. p. 214. lin. 23. & 30.  
p. 237. lin. 7. p. 241. lin. 5.



constanter in senatu clamabatur, ut linguarum professionem vacantem pronunciarent, capereturque literarum Clenardi experimentum. Nec quicquam obstitit, quo minus fieret, quam ejus unius voluntas; etenim dixit cuidam inter illos primario, deesse libros tam hebraeos, quam arabicos, quibus omnino opus esset ad hanc provinciam obeundam: sed interim per otium se daturum operam, ut adveherentur exemplaria. Multæ fuerunt causæ, cur ita rem istam temperaverit: potissima vero, quod suam hanc esse putabat cathedram, quodocunque vellet; & priusquam ita penitus infideret inter Hispanos, alia quod prius exploranda esse.

## CAP. III.

## Periodus Lusitanica.

## I.

**E**cce autem cum vix duodecimus ipsi ageretur in nova professione dies, accessit Refendius, Eborensis, cum literis Joannis III. Regis Lusitanix, ejusque

B 4

fra-

*Exploranda esse.* p. 4. lin. 9. & 19. p. 40.  
lin. 32. p. 43. lin. 30. p. 48. lin. 30. p. 52.  
lin. 34. p. 62. lin. 18. p. 64. lin. 24. pag.  
111. lin. 21. & 27. p. 129. lin. 1 p. 204.  
lin. 36. p. 214. lin. 27. p. 237. lin. 7. p.  
242. lin. 15.

fratris, Henrici, archiepiscopi Bracarenfis, quibus ad hunc instituendum invitabatur. Clenardus sciscitatus est, nunquis esset in Lusitania linguæ arabicæ peritus? Respondit: *est, inquit, medicus quidam doctissimus, Antonius Philippus, qui te ad saturitatem doceat.* Hoc non leve ei inter alia momentum fuit ad accipiendam conditionem.

II. Sub finem anni c<sup>lo</sup>io xxxiii. Eboram venit, ubi tunc erant stativa aulæ Lusitanicæ; ac quinque annos cum discipulo, Henrico, versatus est, partim Eboræ, partim Bracaræ. Initio studium linguæ arabicæ omittere cogitur; non semel tamen ei in mentem venit, adeundam sibi tandem esse Africam; audiebat enim, in urbe Fessensi mire florere studia arabica. Credidit quoque, oblatum sibi aliquando iri occasionem Iustrandi Africa partem.

III. Quod interruperat jucundissimæ linguæ studium, in causa fuit aliarum disciplinarum tractandarum necessitas, & inopia librorum arabicorum. Nihil codicum secum attulerat præter Evangelia, & unum grammaticum.

---

*Accipiendam conditionem.* p. 4. lin. 21. p. 7.  
lin. 11. & 25. p. 93. lin. 22. p. 141. lin.  
10. p. 214. lin. 36. p. 246. lin. 18 & 34.  
*Africa partem.* p. 7. lin. 2. 7. 15. p. 95.  
lin. 7. p. 215. lin. 3. p. 246. lin. 25.

maticum. Optabat, ut, Deo opitulante, plenior sibi comparare posset bibliothecam arabicam, sacris præsertim instructam codicibus, quorum gratia primum huic linguæ operam impendisset. Propositum ipsi erat, tentare, ut sibi tale senectutis viaticum pararet. Codices quosdam redemit a Commendatario quodam; alios expectans e Murcia. Nullum non movit lapidem, ut epistolas Pauli consequeretur, ac reliquos libros sacros. Pentateuchum alicubi extare audivit, sibi que illum, si vellet, missum iri. Egit non semel apud Damianum de bibliotheca episcopi Ne-bien-sis, qui libris arabicis bene instructus fuit.

IV. In animo habebat, quamprimum plures libros accepisset, Antonii Philippi operam implorare. Erant huic libri arabici quamplurimi; at medici argumenti. Ipse deditus erat Avicennæ; sed grammaticam prorsus ignorabat. Die quodam Antonius ultro saluator venit, literasque Clenardi arabicas, alto quasi somno oppressas, cœpit expergefacere. Crescente enim inter illos amicitia, sensim hic ad pristinum studium redibat: &

B 5

cum

*Bene instructus fuit.* p. 7. lin. 7. 8. p. 70.  
lin. 3. p. 91. lin. 32. p. 92. lin. 2. p.  
103. lin. 15. p. 147. lin. 28. 32. p. 161.  
lin. 29. p. 246. lin. 23.

cum princeps ejus aliquot diebus abesset, atque domi liceret omne tempus sibi sumere; ut nunquam antea, fervebant arabica, quod in Antonio & socium laboris nactus esset, &, sicubi dubitaret, præceptorem, præsertim in vocibus, quas medici usurpant. Clenardus ipsi linguæ dedit rudimenta, quæ ante biennium conscripserat

V. Jam tantum noverat in grammatica Clenardus, ut nihil restaret, quam auctorum lectio. Itaque post Evangelia legit scripta medica, quia aliis non potiebatur. Avicennæ partem diligenter tractavit. Sed supra modum versione latina turbabatur; quod interpretes in tam alieno a nobis sermone verbum tantum pro verbo reddiderat, nec satis expresserat vocabulorum vim atque proprietatem. Arabica discebat, quæ ignorabat, nec, quis sensus eorum esset, licuit ex latinis, parum elegantibus, colligere. Quare ipsi videtur utilius, Galenum, aut alium quempiam versare, qui e græco translatus esset in arabicum.

---

*Biennium conscripserat.* p. 7. lin. 5. & 11.  
 p. 57. lin. 5. p. 74. lin. 32. p. 95. lin.  
 5. & 6. p. 103. lin. 2. p. 146. lin. 32.  
 & 37. p. 147. lin. 32. & 35. p. 148.  
 lin. 17. & 34. p. 157. lin. 28. p. 162.  
 lin. 3. p. 164. lin. 6. p. 246. lin. 18.  
 22. & 31. p. 247. lin. 5. 13. & 17.

cum. Incidit in illius commentarios, quibus Aphorismi expositi sunt; & cum illis versionem Leonicensi contulit: ubi tribus, quatuorve locis animadvertit, hunc non tam recte sensum percepisse, quam reddiderit interpretes arabicus. Absolverat libros tres, cum aliis negotiis studium rursus interrumperetur.

VI. Eo tempore lexicon, quod hucusque in schedis jacuerat, his ordinatis, composuit, novisque subinde auxit vocabulis, ut lestitando proficiebat. Interea epistolas quoque scribendi ratio ab ipso tentabatur, quo stylus exerceretur: potuissetque facultatem aliquam comparare, si perdurasset exercitatio. Verum non æque oblectabatur Antonius hac literarum vicissitudine, ac Clenardus; & huic præterea illius epistolæ, olebant, nescio quid, vulgare, quod non satis elegans judicabatur. Quare rursus intermissa sunt hæc studia, tum ut ad jucundiores disciplinas avocaret fatigatum ingenium, tum quod jam abunde se paratum crederet. Præterea multum ei molestiæ devorandum fuit, quod res ei cum furdo esset.

## VII.

*Rursus interrumperetur.* p. 72. lin. 13. p. 91. lin. 5. & 32. p. 103. lin. 4. p. 247. lin. 17. & 29.

*Cum furdo.* p. 146. lin. 30. p. 247. lin. 13. & 36.

VII. Scopus ejus in hoc discendi labore idem etiamnum erat, qui olim fuerat; nimirum, ut ex lingua affini accuratius intellexeret hebraicam, & aliis ducem se ad codices arabicos legendos præberet: de impugnanda superstitione muhammedana autem nullam habuit cogitationem. Anno MDCXXXVII. circa pentecosten, patruus Cæsaris, Leopoldus, rectorem agens Salmanticæ, missis literis, Clenardum ad subeundam linguarum professionem invitavit. Itemque alii viri conjunctissimi modis omnibus illum in eam academiam revocare conati sunt; nihil non pollicentes homini, quem unum in Europa numerari huic parem esse dicebant. Inde autem ista orta est existimatio, quod hucusque nemo extiterat, qui arabicæ linguæ sic teneret scientiam, ut eam docere posset. Hac occasione unus e præcipuis amicis, Franciscus Victoria, non ignarus studii Clenardi, sedulo ipsum hortatus est, ut se accingeret ad scribendum contra Muhammedum, quoniam bona pars Hispaniæ contagione sectæ hujus laboraret; & harum quoque ovium habenda esset ratio. Addidit: librum latinum, quo Muhammedum refutasset, verendum in linguam hispanicam; eundem græce reddi posse, ut Græcia etiam, quæ ferme tota Muhammedo dedita esset, errorem suum agnosceret. Clenardus generatim Sal-

man-

manticensibus gratias egit, verum conditionem detrectavit, etsi gloriæ plenam, causa hac memorata: sese cupidum esse patriæ repetendæ, eaque ibi in lucem edendi, quæ provehendis studiis serviant. Francisco speciatim præter cætera hoc respondit: se parum ad eam impugnandi Muhammedi provinciam idoneum esse: primum legendum Alcoranum, deinde Sunnam; & stultum esse, oppugnare, quod non plane fuerit perspectum.

IIX. Et omnino stabat sententia, quam primum rediisset in patriam, Lovanium; quem locum rei instituendæ Salmantica opportunior putabat: cum studio theologico professionem auspicari arabicam, linguæ hujus propagandæ causa; & paratis typis arabicis, ea per scriptiones linguæ hujus fundamenta ponere, ut homines posthac tam facile medicos arabicos lectitare possent, quam nunc legant græcos; quanquam ipse non tam medicinæ, quam codicum sacrorum intelligentiæ velificari constituisset.

CAP.

*Fuerit perspectum.* p. 27. lin. 36. p. 28. lin. 4. p. 90. lin. 29. p. 91. lin. 29. p. 215. lin. 13.

*Velificari constituisset.* p. 91. lin. 13. p. 183. lin. 1. p. 215. lin. 11. p. 247. lin. 36.

## CAP. IV.

## Periodus Hispanica secunda.

## I.

**F**Acta tandem a Principe potestate, cum patriam repetiturus esset Clenardus, consilium cepit mensibus aliquot peragrandi Hispaniam, diligenterque dispiciendi, an posset alicubi invenire hominem, quicum de literis arabicis posset confabulari. Nam nondum audiverat vivam vocem, & scrupulis quibusdam circa accentus etiamnum torquebatur. Primum, Cæsaraugustæ in vinculis, dicebatur, esse hominem, istarum literarum peritum. Posthac cognovit, Hispali reperiri figulum, oriundum e muhammedica gente, & arabice doctum; quo ante annos aliquot Pincianus usus sit magistro.

II. Sub finem anni c<sup>o</sup>l<sup>o</sup>xxxix. Hispaniam ingressus, venit Hispalim. Hic statim ad figulinas accedit, invenitque commendatum profelytum. Atat docendi munus recusat

---

*Usus sit magistro.* p. 24. lin. 24. & 37. p. 25. lin. 4. p. 61. lin. 19. p. 164. lin. 5. p. 215. lin. 4.

*Venit Hispalim.* p. 24. lin. 17. p. 25. lin. 4. p. 42. lin. 22. p. 61. lin. 25. p. 215. lin. 14.



cusat senex: se, ait, esse ætate incommoda, pluribusque impediri negotiis, quominus ipsi vacare possit. Clenardus, subornato Francisco Colone, omnem movet lapidem, ut saltem inter ollas sibi locus detur, & ipse obiter, rotam agitans, subinde ad quæstiones respondeat. Verum nihil obtineri potuit. Causam recusationis adfert: etsi natione Maurus sit, se tamen vere christianum esse; nolle se ullum veteris superstitionis signum dare: nec fieri posse, quin veniret in sermones hominum, si ipsum in privatis ædibus, aut inter operas suas in disciplinam recipiat. Profelytum se quidem esse, tamen vitæ genere se consecutum, ut paucis videatur alienigena; nolle se hanc opinionem perdere.


III. Clenardus, adsumto secum arabico codice, quæritabat in foro inter mancipia Tunetensia, quod nosset literas istas. Nactus unum, qui se literatum profitebatur: *quid, inquit, in diem lucraris?* Respondit: *viginti quinque obolos.* Clenardus: *eja mecum esto,* ait, *in cubiculo ad prunas, & docendo tantum capito.* Placet conditio. Illo igitur præceptore uti cæpit, ipsumque reperit mediocriter doctum. Inter confabulandum tentat hominem, num secum velit abire in Flandriam? Non omnino abnegabat, dicens:


---

*Opinionem perdere. p. 25. lin. 22.*

dicens : se redemptionem expectare , & pro-  
 pediem venturam pecuniam ex Africa ; qua  
 si se spes destitueret, ipse cum hero pacisce-  
 retur, seque abduceret præceptorem. At  
 rursum hinc excluditur Clenardus. Nam al-  
 lati sunt nummi e Fessa, ac magister liber  
 discessit in Africam, cum octo diebus illum  
 docuisset. Cæterum intellexit ex Mauro hoc,  
 alium quendam Almeriæ in servitute esse  
 hominem, mire doctum ; & facile  
 illum posse redimi.

*Posse redimi.* p. 25. lin. 22. & 33. p. 26.  
 lin. 3. 7. & 18. p. 61. lin. 25. p. 64.  
 lin. 20. & 29. p. 209. lin. 3.






Je 2605

S

1018

6. 1.



13

NICOLAI  
CLENARDI  
CIRCA  
MUHAMMEDANORUM  
AD  
CHRISTUM  
CONVERSIONEM  
CONATUS.

---

DESCRIPTI  
A  
D. JO. HENR. CALLENBERGIO  
Th. & Ph. Prof. publ. ord.

---

HALAE  
In Typographia Instituti Judaici  
MDCCLXII.

